



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap XXXIII. Bona hæc, & fauores, quos Deus nobis per Angelos facit,
magnâ ex parte per peccatum mortale amitti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

patientibus; confortant omnes debiles; custodiunt homines in omnibus vijs suis. Grandis est eis cura de nobis. Magnus est affectus dilectionis eorum erga nos: & hoc totum propter honorem inestimabilis charitatis, quâ nos Deus dilexit.

Bona hæc, & fauores, quos Deus nobis per Angelos facit, magnâ ex parte per peccatum mortale amitti.

CAP. XXXIII.

Suppositâ hac veritate de cælo traditâ de magnis præsidijs, quæ ad salutem nostram in bonis Angelis habemus, aliud grauiissimû peccati mortalis damnum detegitur, quòd scilicet nos his ingentibus Angelorum auxilijs, ac fauoribus priuet. Quemadmodum enim Deus ijs, qui donis, fauoribusque ipsius ritè vtuntur, illos auget, ijs verò, qui ipsis abutuntur, eos aufert, vt ostendimus; sic boni

boni Angeli Deum in hoc imitantes, seque cum eius voluntate conformantes, illis, qui ipsorum utuntur auxilijs, maiora adhuc auxilia, ac fauores prestant, illis verò, qui non utuntur ijs ad Dei obsequium, sed patiuntur se in mortalia peccata impelli, in ijsque manent, multa ex his auxilijs, & favoribus negant, sinuntque ipsos effranatè suos prauos appetitus sequi. Hunc perniciosissimum peccati effectum ipsimet Angeli apud Ieremiam fatentur, dicentes: *a Curauimus Babylonem & non est sanata: derelinquamus eam & eamus unusquisque in terram suam.* Glossa, quæ grauissimus huius loci interpretis est, declarans ista verba, sic ait: *b Sunt medici Angeli, volentes animas nostras à vitijs curare, quos ipsi repellimus, dum consilijs eorum non acquiescimus: qui videntes, se perdere operam, ad inuicem dicunt: relinquamus eum, &c. Quasi dicant: Tradita est nobis medicina à Deo, ut animam curemus humanam: adiuta*

a Jer. xl. 9. *b* Gloss. ibi.

ria, & medicamina adhibuimus: contu-
max est; non vult obseruare, quod diximus:
studium nostrum non sequitur effectus: ab-
eamus unusquisq; ad domesticum, & pro-
ximum à Deo sibi commissum negotium.
Postquam Glossa Prophetam his ver-
bis explicasset, mox ad animã rediens,
Cave, inquit, nequando relinquat te An-
gelus Dei; si enim dereliquerit te, patet,
quòd eius abscessio, condemnatio tua sit, ut
irremedicabilis, nolentisq; curari.

Certum est, nos peccatis, quantum
in nobis est, vehementer Angelos ad
iracundiam prouocare. Cum enim ipsi
gloriam Dei, animarumque salutem
tanto perè ament, videntes nos volun-
tariè Deum offendere, & animas no-
stras occidere, nec velle suis admoni-
tionibus parère, statim pœnitentiam
de nostris peccatis agendo, molestè
admodum id ferunt, pro magnâ iniu-
riã accipiunt, & ad puniendam hanc
ingratitude, atque malitiam, nos
deserunt, ac derelinquunt. S. Basilius
beneficium, quod bonus Angelus ho-

R
mini

mini præstat, eum custodiendo, & cu-
 pam, quam homo committit illum ab-
 gendo, diuinè ponderat, ita loquens:
Omni in Christum credenti Angelus affe-
rit, qui eum comitatur, atque custodit.
 Et est tam alta *Angelorum natura*, tan-
 taque potentia, ac fortitudo, ut *unus*
so exercitui unus assimiletur Angelus. *Om-*
magnitudinem itaque, & virtutem eius,
qui te custodit, castra tibi, munitiones,
præbet Deus, & veluti circumuallat te,
di que securitate. Sicut enim muri *scru-*
tis circumducti omni ex parte ab arce-
propulsantque hostiles insulsum: sic & Angeli
te præmunit à fronte, & à tergo custodi-
& nihil utrinque incustoditum relinquit.
 Hunc Angelum, qui tantam nostri cu-
 ram gerit, à nobis per improbas acti-
 onem profugamus. Velut enim fumus aper-
 gat, & foedus odor columbas expellit, sic An-
 gelum vita nostra custodem abigit mor-
 tale peccatum. Hactenus sanctus Bo-
 nifacius filius. Atque ut hæc res clariùs ex-
 plicet, videamus parumper, vtrum bo-

a D. Bas. serm. 9. in ps. 33.

nus Angelus propter peccata mortalia hominem omninò deserat, eique ex toto deneget auxilia, quæ ipsi dabat. Ad hoc respondemus, quemadmodum Deus, etiamsi peccatores propter peccata deserat, subtrahendo eis superabundantes, & efficaces fauores, nunquam tamen ipsos, quamdiu vivunt, omninò deserit, cum semper eis det necessaria, & sufficientia auxilia, ut possint conuerti; sic Angelum nunquam penitùs hominem peccatorem deserere, quia semper ei dat auxilium necessarium, quo saluari potest, sed negare ipsi multa efficacia, & superabundantia auxilia, quibus reipsâ saluaretur, & maiore cum facilitate, ac suauitate præcepta, consiliaque Dei seruaret, in virtute, & gratiâ amplius cresceret, & altiorem in cælo gloriam consequeretur. Ita fatetur idem S. Basilius, de Davide loquens: *a Amici, qui prius cum eo vixerant, & propter peccatum longius*

R 2

ab

a D. Bas. serm. 10. in ps. 37.

ab eo restiterunt, Angeli boni erant. quod
 tempore ipsius peccati sese auerentes dis-
 cesserunt, non tamen eum omnino deseru-
 runt: longè verò stantes vehementer dolo-
 bant. & deflebant amici calamitatē. Hæc
 S. Basilius, vocans vehementem dolorem,
 & fletum, illum spiritualem sensum,
 quē Angeli habent, nostri mali, quod,
 nisi beati essent, grauissimo illos dolo-
 re, & summā tristitiā afficeret. Hoc il-
 lud est, quod peccata faciunt; priuant
 hominem magnā ex parte auxilijs, at
 fauoribus Angelorum. ^a Et habent
 peccata mortalia tantam ad hoc dam-
 num inferendum efficaciam, vt Car-
 dinalis Caietanus dicat, & quidem
 valdè benè, etiam venialia peccata ad-
 uertenter comissa tollere nobis quos-
 dam Angelorum fauores, & vigilan-
 tiam, ac sollicitudinem, quā nos custo-
 diunt, imminuere; atque hinc multos
 scrupulos procedere, quos non habe-
 remus, si in cauendis peccatis veniali-
 bus diligentes essemus; tunc enim non
 dees.

^a Caiet. verb. scrup. med.

deesset nobis Angelica custodia, quæ nos sanaret, & liberaret ab eis. Quòd si peccata venialia aduertenter commissa ex aliquâ parte auxilia Angelorum imminuunt, quid facient peccata mortalia? Clarum est, nos magnâ ex parte auxilijs, & fauoribus ipsorum priuatura. Atque hoc est, deserere nos, & derelinqui, quemadmodum diuina Scriptura significat, & sancti docent. Magna iactura, & graue omninò, dignumque, quod timeatur, damnum est, abundantia Sanctorum Angelorum auxilia nobis deesse. Nam si magni Sancti valdè indigent Angelorum auxilio ad vincendas graues tentationes, sicuti notat S. Pater Andreas Casariensis Archiepiscopus, qui illa Angeli Apocalyptici verba *a* (*nolite nocere terra, & mari, quoad usq; signemus seruos Dei*) explicans, *discimus hinc*, inquit, *virtute quoque ornatos homines Angelorum presidio egere, quò nimirum ad-*

R³ uersus

a Apoc. 7. 3. Andr. c. 19. in c. 7. Apoc.
In Biblioth. tom. 1.

uersus grauiores tentationes firmentur, &
 corroborentur. Et qui auxilio hoc desitu-
 untur, ideò destituuntur, quia vnà cum ipso
 manum operi adhibere non volunt. Hic
 sanctus ille Pater, Si, inquit, magni San-
 cti, & viri fortes, inque virtute perfecti,
 tantoperè Angelorù auxilio indigent,
 & hoc illos deficiente, ipsimet defe-
 cturi sunt; quantò magis hominibus
 debilibus, & exiguæ virtutis necessa-
 rium est hoc auxilium, atque custodia
 Angelica, & vt non committant pecca-
 ta, propter quæ illam perdant, ipsique
 etiam pereant? Quo deueniet effra-
 aliquis, maleque inclinatus puer, defi-
 ciente ei rectore, tutoreue, ac magi-
 stro, qui ipsum corrigat, instituat, &
 custodiat; nisi vt per vitia, prauasque
 societates pessum eat? Et quem ex-
 tum habebit ouis, quæ per campos
 rabunda vagatur absque pastore, qui
 curet eam, ac defendat, nisi vt à lupis
 deuoretur? Si ergo (vti S. Basilius lo-
 quitur ^a) bonus Angelus est Pedag-
 quidam

^a D. Bas. lib. 3. contra Eunoro.

quia
 ena
 xico
 quò
 pecc
 tum
 bus
 mor
 de i
 catis
 per
 tesq
 rend
 rum
 bus,
 licit
 ant,
 & fa
 lam
 rum
 impl
 nio:
 in in
 a
 biblio

quidam, & pastor homini fideli, cuius
curam gerit, deficiente hominem au-
xilio, directione, custodiaque Angeli,
quò tandem is deveniet, nisi vt per
peccata pereat? Quem fortietur exi-
tum, nisi vt deuoretur ab infernali-
bus lupis, & æternæ damnationis
morte in perpetuum moriatur? Val-
de igitur diligentes in fugiendis pec-
catis simus, ne Angelorum auxilia
perdamus: Et valde fideles, vigilan-
tesque simus in honorandis ac reue-
rendis ipsis, & in obtemperando eo-
rum admonitionibus, exhortationi-
bus, atque consilijs, vt maiore cum so-
licitudine, ac vigilantia nos custodi-
ant, nos defendant, maioraque auxilia,
& fauores nobis communicent. Extol-
lamus eos gloriosis laudibus, & ipso-
rum opem deuotis precibus quotidie
imploremus, dicentes cum S. Sophro-
nio: *a O Angeli Dei, cœtus celestis exerci-
tus innumerus, & phalanx præstantissima.*

R 4 multi-

a D. Sophronius serm. Angelorum in
biblioth. tom. 2.

*multitudo immensa, celsitudo inaccessibilis,
 magnitudo omni creaturæ incomprehen-
 sa, gloria, & lætitia inexplicabilis, vi-
 creatâ virtute, & robore maior: vos om-
 nium Regis estis administri, amici, & fa-
 miliares, cui semper obeditis, & cuius
 semper voluntatem exequimini. Cum
 tali, tantâq; gloriâ sitis exornati, totq; præ-
 rogatiuis cumulati, vos supplices roga-
 mus; conserveate vestris auxilijs vitam no-
 stram inoffensam, mores inculpato, omni-
 nesq; actiones nostras ad Dei gloriam
 confirmate nostram Fidem, & spem no-
 stram, & augete dilectionem nostram
 erga Deum, & proximum; & potenti
 vestrâ manu ducite, & deducite nos, &
 ad omnem Deo acceptiorem semitam, do-
 nec ad æternæ ipsius gloriæ frui-
 tionem ascendamus,
 dirigite.*

